

inter patronos et naulizatos ac sorterios et marinarios tarretarum, uel inter omnes alias personas in eisdem tarretis existentes, firme et stabiles debeant permanere || saluis omnibus nostris ordinamentis uel statutis, que integraliter obseruentur.

St. Zen, XCVII.

[52]. *Quod aduocatores comunis placitare debeant illos qui iuerint contra statuta.*

Iniungimus quod in Ueneciis aduocatores comunis ab illis hominibus qui iuerint contra nostra statuta tollere debeant et placitare ea omnia in quibus ipsi ceciderint, ut in statuto nauium continetur.

St. Zen, XCVIII.

[53]. *De tarretis extimandis que fient extra Uenecias, et non uendendis foresteriis.*

Mandamus quod si aliquis uenetus faceret fieri tarretam in terris in quibus rector pro nobis extiterit, rector illius loci tarretam secundum ordinem nostri statuti de tarretis debeat extimare, dando ei ordinem illum quem c. 261 habent tarrete uenetorum secundum || formam statuti. Si uero fieri faceret tarretam in terris in quibus rector pro nobis et comuni Ueneciarum non fuerit, cum peruenerit ad loca in quibus rector pro nobis extiterit, rector illius loci tarretam illam secundum tenorem nostri statuti de tarretis debeat extimare, dando ei ordinem quem alie tarrete uenetorum habent secundum formam statuti. Ordinantes quod tarretam illam uendere non debent alicui forensi ut in statuto nauium continetur.

St. Zen, CI.

[54]. *De carico et imbolio ponendis in tarretis sicut continetur in statuto nauium.*

Uolumus quod caricum et imbolium ponantur in tarretis ut in statuto nauium continetur.

St. Zen, CII e segg. fino al CXI inclusive.